



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Everhardica Clusa, vulgò Eberharts-Klausen/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Pastoris tam magna fuit reverentia summi:

Quæ virtus aliquo digna favore fuit.

Canonicas miro concentu personat horas

Turba sacerdotum hic nocte dieq; suas.

Terra ferax, campus letus, quem ditat ubiq;

Uberibus verè frugibus alma Ceres.

Medio itinere inter hoc oppidum & Wassertruhendingam civitatulam est Regiæ aulæ Canonicorum secularium collegium, hodièq; tantum parochiale templum, sed magnificentum, vulgò *Rhungschoffen* / in quo plurimi sunt insignes tumuli nobilium *Kbunig- regulorum à Seckhendorff. Id fundatum & constructum est à hofen.* Domina Anna Marfallina de Bappenheim, ex Preisingensi familia nata foemina, quæ illic honorifice sepulta. Obiit anno 1417.



EVERHARDICA CLUSA, vulgò *Eberharts-Klausen* / Epulcherrimum cœnobium regularium Canonicorum S. Augustini, tribus lapidibus à Treveri versus Hunnorum terga vel præsidia situm, ex elemosynis utriusq; sexus hominum, certatim undiquaq; ad D. Virginem ex omnibus provinciis concurrantium, hoc modo emerfisse ibidem legitur.

Erat anno Domini 1440. laboriosus quidam, rusticæq; & vitæ & artis homo omnino simplex, Eberhardus nomine, ex pago *Eberhard-Esch* oriundus, agricola, vinitor & sector straminum in usum & *rusti-* *pastum* jumentorum, virginitatis ac pudicitiae summus amator, *cus.* qui ob devotionem, quam à pueris conceperat, maximam erga Matrem Domini, beatissimam Virginem Mariam, stipitem quandam in loco isto tunc temporis deserto terræ infixit, & in eo superius excavato imaginem tristissimæ ac dolorosissimæ *Matris*, in gremio extinctum habentis filium, collocavit. Is postea *Exstru-* à gloriola Virgine admonitus & coactus domunculam parvam *tio mo-* eidem ædificavit, & sublato stipite, illam ipsam imaginem, ad *nasterii.* huc eo loci præsentem suoq; precio Treveri prius emtam, in priori muro domunculæ reposuit. Ubi cum miracula plurima fierent, & oblationes innumeræ quotidie accederent hominum, religionis ergò eo catervatim venientium, mox his oblationibus *adju-*

Z

Chronologia
monasterio
S. M

adjutus Eberhardus, facellum circiter quinque passuum (prima domuncula dejecta & destructa) fabricavit, & postea circa idem facellum Basilicam, in longitudine 26. in latitudine vero duodecim passus habentem, fundavit & ædificavit in anno Jubileo, quo factus est maximus omnis generis hominum ad novum idolum concursus.

Inauguratio.

Hanc Basilicam Reverendissimus Dominus, Dominus Jacobus de Sirck, Archiepiscopus Treverensis centesimus, presentibus prælatis suis, in pontificalibus propriis manibus in die annunciationis B. Virginis Mariæ, anno Dñi 1449. solenniter dedicavit. Eberhardo autem anno Dñi 1451. in pace quiescente, consentientibus & id desiderantibus dominis fundi, imprimis vero Dño Godefrido de Esch, ordo Canonicorum regularium S. Augustini introductus est anno Christi 1456. Hi novum chorum ædificaverunt & anno Dñi 1474. dedicari fecerunt. Structuras etiam utriusque ambitus & multorum ædificiorum erexerunt, & Ecclesiam hanc majorem, antiqua dejecta ac destructa, ad summum compleverunt, cujus dedicatio facta est anno Dñi 1502. Patres, qui in cœnobio hucusque præfuerunt, hi recensentur subscripti.

Catalogus Priorum.

1. *Hermannus de Ruden*, ex Insula (quæ est infra Confluentiam in Rheno ejusdem ordinis cœnobium) missus, anno Domini 1456. in die S. Catharinæ Virginis confirmatus & ordinatus est ab Archiepiscopo Joanne, Marchione Badensi, sub quo cœnobium hoc Windesheimensi incorporatum est. Præfuit annis 18. Obiit anno Domini 1474. Sepelitur Treveri apud S. Agnetem in monialium cœnobio, cujus erat commissarius.

S. Agnetis cœnobium Treverense.

2. *Adamus de Petra*, antea procurator in Insula, eligitur in Priorem Clusensem anno Christi 1474. Præfuit per unius tantum anni breve spacium.

3. *Bertholdus*, sanctus vir, de monte Martis, procurator antea in Insula Confluentina, præfuit annis quinque. Erexit muros novi chori ad summum & monasterium totum muro communivit.

4. *Joannes Endorvianus*, Brabantinus, quartus hujus loci prior, tandem Episcopus Aletensis & suffraganeus Treverensis Archie-

Archiepiscopi. Is chorum absolvit & tabula pulcherrima ex Brabantia allata decoravit, fonte monasterium illustravit, pistrinum & Laicorum dormitorium construxit. Præfuit annis quinque laudabiliter ac utiliter.

5. *Gerhardus de Lippia*, monasterii hujus sui variis ædificiis illustrator maximus, eligitur in Priorem anno Domini 1485. cum venisset in monasterium anno 1474. ætatis suæ vicesimo secundo anno. Præfuit annis 43. Obiit 14. Calendarum Aprilis anni Domini 1528. Sepelitur primus in Ecclesia, reliquis antecessoribus suis sub dio positus. Vocatus multoties ab Archiepiscopo Treverensi ad suffraganeatus officium semper oblatum honorem recusavit.

6. *Matthias Keimptensis*, in pago quodam ad Mosellam è regione Cellensis oppidi sito natus, magnæ probitatis ac religionis, omnibusq; amabilis, eligitur anno Domini 1528. Præfuit utiliter & laudabiliter ad annum Christi usq; 1542. quod abdicavit sese magistratu ob afflictam corporis valetudinem. Obiit tandem anno Domini 1544.


7. *Nicolaus Kaldenseus*, ex Cella Treverensi oppido ad Mosellam sito natus, vir latinè doctus & humanissimus, eligitur ex procuratore in Priorem cœnobii sui anno Christi 1542. circa festum D. Michaelis. Præest adhuc utiliter hoc anno Jubilæo 1550. Studuit olim Lovanii. Ab eo exoratus de cœnobii hujus origine tale feci superiore anno Idyllion:

*Si quæris, quis cœnobium construxerit istud,
Accipe quæ paucis referam tibi, candide lector.
Vir simplex Eberardus erat, bonus insuper, & cui
Rusticitas & agri studium cultura erat acre.
Is Treveri sibi emens per parvam Virginis almæ,
Quæ Christum genuit nobis hominemq; Deumq;,
Effigiem, hanc ipsam secum hunc adduxit in agrum.
Sed quoniam effigies hæc Divæ Virginis ipso
Edidit hoc miracula loco quam plurima, factum est,
Undiq; turba locum certatim ut quæreret istum,*

Z 2

Quæ

*Quæ Christum & Christi matrem feruenter amabat,
 Hæc secum sua dona ferens, placare studebat
 Muneribus promptis cœli super astra sedentem,
 Intemeratam illam & cœlesti ab origine natam
 Cœlorum Dominam, matrem saluantis Jesu.
 Ex his muneribus domus hæc est condita tota,
 In qua Augustini superis nunc militat ordo
 Canonicus, nivea gaudens candentemq; veste,
 Quæ cum munditiem intemeratæ Virginis atq;
 Christi cœlorum regis, tum denotat illam,
 Qua debent omnes ornati hi scilicet esse,
 Qui seruire volunt Christo ipsiusq; Parenti.*


ABARIUM vel Favarium, aut, ut in Carolinis diploma-
 matibus legitur, monasterium D. Virginis, Dei geni-
 tricis, apud Favarias situm, in Rhetia Churientis pa-
 go Churwahala, Germanicè *Pseffers* / ordinis D. Be-
 nedicti, in Churienti diœcesi & Rhetia Alpibus supra Ragusum,
 ad Camingum vel Dramingum fluuiolum, qui non procul inde
 à Rheno excipitur, situm. Id, inquam, monachorum cœnobium
 inchoatum & fundatum esse legitur suasu S. Pirminii, Episcopi
 Meldensis & Abbatis primi in Augia divite, sumtibus Caroli Mar-
 telli, sub Theoderico II. Rege Galliarum, Domino Aleman-
 niæ, Rhetia, & Helvetiorum terræ, anno Christi 734. tenente
 Pontificatum & consentiente Gregorio III. Is enim certus est e-
 jus foundationis numerus. Locupletatum est postea & amplissi-
 mis privilegiis ac immunitatibus donatum ab Imperatoribus Lu-
 dovico, Lothario, Carolo Crasso & aliis. Habuit semper à pri-
 ma origine ad hæc usque tempora gubernatores Abbates, quo-
 rum catalogus, etsi varius ac mire confusus extet in ejus loci char-
 tis, tamen adhibito variorum diplomatum consilio, in hunc or-
 dinem non omnino inconvenientem à me redactus ac digestus est.

1. *Pirminius*, primus Abbas, Episcopus est Meldensis &
 multorum cœnobiorum pater ac renovator.

2. *Adal-*